

PRIORIS EDITIONIS PRAEFATIO.

Post plures, qui hucusque sumtibus orphanotrophi prodiere, Auctores Classicos, sistitur tibi, lector benevole, nunc etiam *C. Plinius Caecilius Secundus*, notissimus argentei seculi scriptor, qui comitis suis epistolis, quarum decem scripsit libros, id assecutus est, ut nulla umquam ipsius famam deletura sit oblivio. Vitam ipsius belle admodum descriptam si legere lubet, amandamus te ad praclaras, quas Cellarius aequae ac Massonus in publicum emiserunt, biographias. Comum ipsius erat patria, ubi imperante Nerone lucem primum aspexit. Pater praematura morte ipsi est subreptus. *C. Plinium Secundum*, a quo fuit adoptatus, habuit avunculum, *Quintilianum* vero praepceptorem, cujus praepceptis sedulo imbutus ita profecit, ut ipse orator evaderet clarissimus. Praefecturam Bithyniae tenuit, aliosque praclaros gessit honores. Habuit autem hoc cum aliis commune: sed quod tempore persecutionis, cum gentiles in Christianos magis quam ferae saevirent bestiae, mitem erga innocentes habuerit animum, laus est, quam ex ethnicis illius seculi solus sibi vendicat. Legi inter alias merentur, quas pro Christianis mitius tractandis ad Trajanum scripsit epistolas, utpote in quibus luculentum nobis de Christianorum innocentia exhibetur testimonium, quod documentum, propterea quod ab ethnico profectum est, utriusque nobis in pretio esse debet.

Sistun-

Sistuntur autem hic tibi præter Panegyricum omnes illius epistolæ, quæ singulæ ita comparatæ sunt, ut quo plus legas, eo plus diligas, dicente Barthio, easque a multis negligi admireris. Non solum enim aliquid habent, propter quod legi mereantur: sed habent omnia, quæ diligentem lectorem invitare possunt. Sive enim utilitatem spectes, sive jucunditatem, sive utrumque animo conceperis, in omnibus abunde desiderio tuo satisfacient. Possemus id plurimis virorum celebrium confirmare testimoniiis, sed ex multis sufficiant sequentia.

Testimonia de Epistolis.

Plinii Epistolæ acutæ, eleganter expressæ, in quibus nil nisi domesticum, quotidianum, sed omnia tantum latina, casta ornataque leguntur. Cumque sit stilus ille multa arte atque ingenio cultuque subactus & elaboratus, tamen pæne subitus atque extemporaneus videtur. Erasmus.

Plinius est succinctus & festivus & facetus & acutus & frequens concinnis sententiis, doctis atque acutis ingeniis mirifice aptus &c. Lud. Vives de conscribendis ep.

Plinii Epistolas quo magis legas, eo plus diligas. Sunt enim suavissimæ & genium inusitatæ alacritatis habent. Barthius in Adversar.

De Panegyrico.

Panegyricus, quem Plinius Trajano dixit, divinus planè liber est. Lipsius Centur. 2. Epist.

Plinii Panegyrico Romana facundia nihil habet elegantius. Vossius de Rhetoric.